

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm  
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

Zitate

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**



CICERO *In Prolog. Rhetic.*

**M**e quidem diù cogitantem ratio ipsa in  
hanc potissimum sententiam dicit, ut  
existimem sapientiam sine eloquentia pa-  
rum prodesse civitatibus: eloquentiam ve-  
rò sine sapientia nimium obesse plerumque,  
prodesse nunquam.

PLINIUS *Iunior epist. lib. 3.*

Malè eloquentia sine moribus discitur.

S. AUGUSTIN. *lib. 4. de Doctrin.*

*Christian. Cap. 5.*

**S**i ergo hæc illi, qui præcepta eloquentiæ  
tradiderunt, in iisdem libris, in quibus id  
egerunt, veritate instigante coacti sunt con-  
fiteri, veram, hoc est, supernam, *qua à Patre*  
*luminum descendit*, sapientiam nescientes:  
quantò magis nos non aliter sentire debe-  
mus, qui huius sapientiæ filii & ministri su-  
mus? Sapienter autem dicit homo tanto  
magis vel minus, quanto in Scripturis san-  
ctis magis minusvè profecit, &c.

*Ibid.*

**Q**ui eloquenter dicunt, suaviter: qui sa-  
pienter, salubriter audiuntur. Propter  
quod non ait Scriptura: *Multitudo eloquen-*  
*tium, sed multitudo sapientium sanitas est or-*  
*bis terrarum.* Sicut autem sæpè sumenda sunt  
amara,

amara, salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate, quid melius? Quantò enim magis illic appetitur suavitas, tantò facilius salubritas prodest.

*Ibid. Cap. I.*

**C**um ergò sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadenda seu prava, seu recta valeat plurimum, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis & erroris usurpant.

AUCTOR ex Martial. lib. 9.

Majores majora sonent, mihi, parva locuto.  
Sufficit, in laudem cedere cuncta Dei.

**O**MNIBUS in omnibus nemo unus adhuc placuit,

DEMETRIUS PHALEREUS.

**Q**VANTUM in bello ferrum, tantum in Republica valet eloquentia.

THEMA-